
LIBERALIA LIBRI

De gente Kohliana, olim splendidissima.

Commentatio II.

Praeter eam gentis Kohlianæ lineam, de qua in priori sermo mihi fuit commentary, alia, notabilior quodammodo, adhuc est commemoranda. Referunt nimicum annales, Nicolao a Kohlo fuisse filium, Christophorum nomine, qui, Mückenbergi, praedii rusticani eiusdemque liberi, possessor, rem ovariam insigni modo egerit variasque vineas prope urbem Gubenam non sine lucro coluerit. Vestigiis eius institit quoque, aliquamdiu certe, rem rusticam exercendo, nepos eius, Antonius a Kohlo. Sed temporis progressu et hic Antonius curis rusticis se abdicavit et cognati, Augustini supra nominati, exemplum secutus, possessionibus, quas habuerat, venditis, Zittaviam ita commigravit, ut, quidquid ipsi suppeteret vitae, id quidem in urbe nostra honesto et decoro transigeret otio. Filius eius eiusdem cognominis, iam grandis natu, anno MDLXXI. pro temporis istius consuetudine Senatu nostro ita adscriptus, ut alternis annis ordini Senatorio adesset, 1) ex dupli, quod contraxit, matrimonio multam copiosamque vidit progeniem. Altera eius uxor fuit Anna, M. Andreæ Masci, scholae nostræ Rectoris filia, quae praeter alios filios aliasque filias anno MDLXIX. felici partu edidit magnum illum et peritisimum et celeberrimum Jurisconsultum, Andream a Kohlo, 2) qui domui Brandenburgicae dedi.

1) Germanice: er wurde einer von den Wechselherren, de quibus conferendus est Carpzovius in analectis fastorum Zittauiensium. P. 2. c. 3. p. 265.

2) Emendandus igitur est Joecherus, qui in notissimo illo, quod edidit, Lexico Nostrum & Marchionatu Brandenburgico orrum fuisse refert.